Princeps.
Cardinalis
Babecki Andreae: Oratio funebris.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0005471

ORATIO FVNEBRIS,

Quam

In ſupremo & luctuoſo officio

Sereniſſimi Domini

D. IOANNIS ALBERTI,

POLONIÆ, & SVECIÆ

PRINCIPIS,

S. R. E.

CARDINALIS,

eminentiſsimi,

EPISCOPI CRACOVIEN:

Ducis Seueriensis.

Pompæ Sepulchrali,

Nobilis ANDREAS BABECKY, Eloquentiæ & Philoſophiæ in Academia Cracouień. Studioſus, cum debita animi ſubmiſſione

obtulit.

89.

1635



Hic vbi concordes veniunt in cornua lunæ
Læto hilarant fauſtam lumine Sarmatiam,
Sarmatiæ ex iſtis naſcuntnr lumina lunis,
Deq́ʒ crucis Sacro flumine potat ager.
Stemmata Szyſcouiûm priſcæ pietatis honorem
Et Martis ſtudium, quod tueantur habent.

Chriſtophorus Skotnicki,
Stud: Poeſ:

Perilluſtri & Reuerendiſſimo Domino,

D. ANDREÆ SZYSKOWSKI,

Sholaſtico Cracouień. Archidiacono Zabichoyceń. Præpoſito Iłzeń. Cantori Ploceń. S. R. M.

SECRETARIO.

Domino & Patrono Obſeruantiſsimo,

Salutem & perennem Felicitatem.



Cerbiſſima & maximè luctuoſa morte in ipſo veluti ſtadio curſuq; rerum humanarum extinctum Sereniſſimum Principem, cancellis placuit anguſti ingenij circumſcribere; tantiq; caſus commiſeratione perculſam Rempub licam, ſub inclyto nomine tuo, Perilluſtris & Reuerendiſſ. Domine qui vetus Regiæ domus cultor es, in ſinum lugentis totius Europæ effundere. Nam ſi interitu acerbiſſimo Principum merent Imperia, ſqualent Regna, Roma conflictatur, maximè Sacra luget Religio, omni veteri hilaritate exutæ, omni ſplendore ſpoliatæ Sedes, & domicilia Chriſtianorum in ſqualore iacent: quis noſtrum ſine ſingultibus, & crebris ſuſpiriis officium mæroris plenum, Sereniſſ. & Eminentiſſ. Cardinali perſoluet? qui ad maxima quæq; natus & inſtitutus, vt adhuc vernans omnium in ſe ſtudia & animos erexit: ita inopinato euentu à nobis diſtractus Rempublicam Polonam magnopere ſauciam afflictamq; reddidit. O ſpes hominum fragiles, & incertas, ô lubricam & præcipitem felicitatis humanæ conuerſionem, ô falſam expectationem, & crudelitatem fati ſine delectu furentis. Quanta dementia hominum ſpes longas inhoancium, quàm ſtultum eſt ætatem polliceri,

cui si calcullum apponas, in omni ætate senectus est, & fato obnoxia omnis ætas. ille flos Quirinalis Capitolij in ipso ætatis flore delibutus tam subitò emarcuit? quem ad æternitatem omnibus votis promouebamus; iniurioso mortis impetu extinctus? ille animi vigor præter vota nostra excessit? in cuius purissimo animo altissimum quasi domicilium virtutes extruxisse videbantur: ita vt facilè vniuersos, tum admirabili virtutum laude, tùm diuina prorsus rerum gerendarum gloriâ quàm longissimè antecelleret, nisi fatalis violentia tàm subitò regia virtute conspicuumPrincipem Sarmatico Orbi eripuisset. Huius igitur Serenissimi Principis Regias illas dotes, quibus admirationi fuit toti Sarmatico Orbi, imò toti Europæ, in solatium afflictæ Patriæ Nomini Tuo Perillustris & Reuereń. Domine voueo. Certus sum me tenui incultæq; oratiunculæ concredidisse heroicas ac propè diuinas virtutes Serenissimi Principis, cuius Augusti animi æuiterna indoles breui elogio nec includi, nec facilè exprimi potest. Iusta annalium monimenta & prægrandia volumina Virtutes eius comprehendent. Nec tamen ideo concido animo: habet quippè & semper habuit hoc Animus Tuus Generosus, & benè eruditus Perillustris & Reuerendissime Domine, quod conscius quanto cum labore proficere detur mortalibus parua placidè accipiat, errata humanitus illapsa flectat in partem benigniorem. Quapropter & hunc debilem ingenij mei fœtum, in honorem Eius facTuum, Tuæ authoritatis præsidio foue; quem Ego Tuæ voluntatis fiduciâ fretus, audeò facere publicæ lucis. Deus Opt: Max: Perillustrem & Reuerendiss. D. V. Ecclesiæ, Reipub. Academiæ, & in augmentum bonarum literarum diutissimè incolumem seruet. Dat. Cracouiæ è Minori Collegio in Museo Excellent. Domini M.Danielis Otręboß Collegæ minor. Anno Domini 1 6 3 5. Mense Aprili Die.

Perillustriſs. & Reuerendiſs. D.V.

Cliens & Seruitor paratiſſimus.

Andreas Babecki.

Oratio Funebris.



Ptandum fuit Equites Nobilissimi, vt Serenissimo ac Eminentissimo Ioanne Alberto Poloniæ & Sueciæ Principe S. R. E. Cardinali Eminentissimo, Episcopo Cracouieñ. Duce Seuerieñ. viuo potiùs frueremur; quàm mortuo in gemitum, in lachrymas, à lachrymis in officium luctuosum, erumperemus. Nam virtus illius summo ornamentorum cumulo referta, vt immortalis esset, res nostræ: vt perpetuò in omnes Ecclesiæ partes excubaret, Polonia flagitabat. Verùm quia humanæ vitæ cursus, & ita est varius, vt dirigi nostro artificio non possit: & ita vehemens, vt antequam annos speremus, & vota extendamus miseri, vt senectute ornemur, è conspectu euolet: lachrymas quidem orbitati nostræ debemus: Serenissimo Principi, ob immortalitatem nouo vitæ exordio adeptam, æternam prædicationem. Mors quidem eius, hisce temporibus ob summam rerum domesticarum difficultatem, acerba nobis extitit: eademq; necessitatem attulit obductarum aliqua ex parte cicatricum, quas fugit ac reformidat animus, diei præsentis acerbitate refricandarum: at illi propter eximia virtutum merita salutaris. Luctum ille nobis è viuis immaturo discessu, at sibi peperit voluptatem. Siquidem ob

præclara Epiſcopatus ſui monumenta ita ſuperſtes adhuc, & in mortalium animis, & in concilio viuit immortalium, vt ex hac funeris Pompa, velut ex aromatum ſylua, non tàm mortalitatis, quàm diuinitatis odores efflari videantur. De his igitur Sereniſsimi & Eminentiſsimi Cardinalis noſtri virtutibus, quæ veluti ſydera pulcherrimo radiorum ſplendore per hunc orbem Reipublicæ diſſeminata collucent, dicere dum geſtio; mirari ſatis non poſſum, quantùm publicus lugentis Sarmatiæ, tanquam viduæ ſqualor, Senatorum pullæ veſtes, Nobilium mæror, lugubres cantus, ſepulchrales faces, atrati parietes, atq; aræ, aciem mihi oculorum obturbent, dicentem retardent, acclamantem frangant, pectus effodiant perorantis: & fauſtæ quantùm acclamationis ac lætitiæ, rerum geſtarum gloria, & æternitatis lux, quâ nunc, vt piè ſperandum eſt, ille perfruitur, exigunt: tantùm hæc mæſta totius Poloniæ forma, præſens ſpectaculum, & ad omnem ſenſum doloris concitandum, & ad lachrymas eliciendas conformatum, oratorem angunt. Verùm in hoc lugubri & Sereniſsimi Cardinalis noſtri interitu, & graui patriæ caſu, me ipſe redarguo, & animum, qui ſubinde recurrit ad funus, ad panegyricum reuoco, vt non tam lamentationi, quàm laudationi deſeruiat. Habēt hoc ab arte nonnunquam lutei parietes, vt inducti tectorio, varijſque picturis colluſtrati fulgeant, & quod à natura denegatum eſt nitoris, & gratiæ, hoc artis operâ conſequantur. At verò Nobiles marmoris cruſtæ, quas ſuis ipſa coloribus, & ornamentis natura

rerum

rerum parens decorauit, proprijs enitescunt opibus, nec ingenitam pulchritudinem, falso quodam gloriæ simulachro mentiuntur. Ita Serenissimi Principis nostri Virtus, in tam illustri loco, in tam nobili præclarissimorum ingeniorum monumento condita est, atq; collocata, vt ipsa se suis diuitijs ostentet, & oratorum potius obruat industriam, quàm ab oratione mutuetur aliquid nouæ commendationis. Quæ enim in omni genere excellens atque præstans virtus est, quæ in Serenissimo non reperiretur? quod honestatis atq; dignitatis lumen, quod in eo non eluceret, & resplenderet? Genus requiris? Illustris generis prosapia supra fortunam, omni ætati, Tempori, posteritati ad miraculum proposita, atque eiusmodi, quæ vt nullius orationis lumen atq; ornatum desiderat; ita à nemine etiam maximis eloquentiæ viribus instructo, pro dignitate enarrari potest. Quis enim adeò rerum omnium imperitus est, qui de Maiorum Eminentissimi Nostri Cardinalis gloria, atque rebus gestis non audiuerit? quæ tellus tam remota, atq; longinqua est, quæ gens tam fera & barbara, quò non eorum celebris fama atque præstans gloria peruaserit, penetrauerit? quæ denique dignitatis, & honoris plenissima nomina, quæ sagi, & togæ decora & insignia, quæ in familia Iagellonum clarissima non reperiantur? Legantur annales, euoluantur historiæ, percurrantur rerum memorabilium exempla: inspiciantur marmora, signa, tabulæ, picturæ: omnia plena Iagellonum, materni sanguinis clarissimorum Principum plena omnia. Quam sæpè contra immanissimos hostes, multitudine innumerabiles,

atque

atque omni genere copiarum instructos exercitum duxêre, signa contulêre, victoriam cum insigni gloria reportarunt? quàm acriter eorum crudelissimos impetus retuderunt, audaciam fregêre, vires attriuêre, castris exutos fugarunt, fuderunt, trucidarunt? quoties ipsi in confertissimos cuneos, ac mediam belli flammam alacri animo irruerunt, corporum suorum obiectu hostibus iter intercluserunt, ac præsenti vitæ periculo communia omnium pericula propulsarunt? Testes sunt victoriæ elogio politæ literaturæ ad fastigium eductæ, Europæi orbis in oculis ipsoque in lumine, & in sole totius mundi ita constitutæ, vt Aquilam Sarmatiæ, tot facibus veluti syderibus circumcinctam, aut gemmis intextam, aut carbunculis, & flammante segmento distinctam, huc usque potentissimi Christiani orbis Principes admirati, Virtutis Regiæ domicilium, arcem fortitudinis, humanitatis sedem, aram clementiæ, mansuetudinis Sacrarium, verbo vno victoriarum, & triumphorum thesaurum Familiam Iagellonum appellarũnt. Nec frustra. habet enim in amplissimo cæli Sarmatici theatro, impressus Zodiacus, stellas, faces splendoris Iagellonici, illos Vladislaos, Gethico, Tartarico, Othomanico, Moschouitico, sceptro formidabiles; Sigismundos, Augustos, æternis cedris, laureisque immortalibus decoratos; qui finitimarum nationum, & Regnorum Boëmiæ, Hungariæ, Germaniæ, Hispaniæ amores demeriti, generoso ausu, hostium prope innumerabilium victores, in cælestem stationem sunt transcripti. Habet Casimiros admirandarum rerum cum dignitate au-

ctores

res, quorum vel heroicis virtutibus, vel castimoniæ Angelicæ Empyreæ familiæ possesio, de manu in manum est tradita. Istis luminibus non minus ad ipsius generis pulchritudinem, quàm ad virtutis propriæ commendationem efflorescentibus, nouus Sol Serenissimus & Eminentissimus Cardinalis adscriptus, quoties amplissima Regni decora, & Ordinis Senatorij, lucidissimas lampades contemplabatur, quoties fælices victoriarum progressus, monimentorum Iagellonicæ virtutis numerabat, quoties Augusti parentis legebat fortunato passu Augusta proles, vestigia, Palmas intuebatur, laureas distinguebat, argumenta victoriarum scrutabatur, toties accesione noui, & recentis splendoris ad immortalem gloriam, & honorem amplissimo Poloniæ Regno exardescebat; ad instar sedulæ apis ex diuersis florum generibus mella libans; quæ è pectore eius veluti à Nilo aurifero in totum Europæum orbem restagnantia, eas beneficiorum copias asportarent, quibus & honorem, & dignitatem, & maiestatem Sarmatico Orbi conciliaret, & Iliadem malorum à patrijs focis fornatus Præsul aueruncaret. Propositis ijs omnibus, quæ ad natalium splẽdorem pertinent, tamque augustâ progenie dignissimâ; illisque felicissimis, quas postea euentus comprobauit parentum prædictionibus; ad illa accedo quæ maiora, quæque mirabiliora sũt, nec facilè in vniuscuiusq; cadunt cognitionem, modesta nimirum illa, simulque liberalis ab ipsa pueritia educatio; quâ à prudentissimis Parentibus Regni Poloniæ gubernatoribus institutus fuit. Nam præter virtutes Iagellonicæ Domui hæreditarias,

quas perpetuo, sanctissimè castissimèque colendas ei præscripserunt, ac commendârunt; ita in cæteris se gessit Ser. Prin. vt nullus in eo alendo superfluus sumptus, luxus nullus, sed summa in victu, amictu, habitu, incessu, moderatio appareret: vt facilè dicas, eum non in regali, sed in priuati alicuius domo natum alitumque fuisse. Nôrant quippè Sanctissimi Parentes, talia iacienda nobis iuuenili ætate fundamenta, quale ædificium maturiore ætate excitare, & erigere velimus. Quid enim per Deum Immortalem eum facturum credis, qui ab ineunte ætate, quotidianis commessationibus, sumptuosis epulis indulgens, qui magis cupedijs, luxui, tripudijs, quàm occupationibus quibusque honestissimis assuetus, tanquam alter Sardanapalus, ad imperium accesserit? iactabit se mihi crede, illius intemperantia insolentiùs, quoque maiorem potestatem acquisiuerit, eò se magis in omne scelus ac flagitium effundet. Si enim voluptas in hominibus abiectæ sortis suum exerit virus, profectò multò magis illis dominabitur, qui in summis rerum fastigijs, & dignitatibus sunt collocati: ita vt qui eum fomitem summâ prudentiâ extinguere nescierit, hominem non secus ac Libicum mare Nothus, ac Boreas exagitabit. Hæc ante necessitatis fatorumq; inclementiam par magnis Theodosijs, par religiosissimis Constantinis SIGISMVNDVS Tertius cùm præuideret, ita Serenissimum Principem nostrum, ijs artibus, quibus ad humanitatem prima ætas informari solet, instructum & imbutum esse voluit, vt deinceps virtutis arduum ac difficile iter ingressus, nihil aliud in vita expetendum iudicaret,

nisi

nisi quod amplissimo Poloniæ Regno immortalem gloriam, nobilissimi splendoris incrementa, recentia virtutum emblemata Iagellonicæ Domui, & lucidissimo Austriacæ familiæ Zodiaco, innumeris propè distincto luminaribus, attulisset. Quo posito sanctissimèque iacto fundamento, quid non bonorum iam tunc omnes sperare poterant, cùm Serenissimum & Eminentissimum Ioannem Albertum, Augustissimorum Imperatorum, Regum, & Principum, Nepotem, Pronepotem, Abnepotem, occultis quasi cuniculis, ad ampliores ferri virtutes animaduerterent? Ac quemadmodum fontes, qui postquam se per riuulos aliquantisper exonerantes longius à capite profluxerunt, primùm in alueos, successu verò temporis, in vastissima quandoque flumina excrescunt; ita planè tanta illa virtus, Ser. Prin. nouis ardoribus ad immortalem gloriam nominis augusti continuandam inflammata, maius iam theatrum in quo excurreret requirebat. Qui res gentium consuetudinesque variarum varias literis suis incidunt, ac posteritati transmittunt, narrant de Persarum olim Dominis, qui vt sese beneficos posteritati commendarent, ementita, & adumbrata effigie pingi fingique voluerunt. Sublimi & Regio in throno, nunc pedibus sphæras cælestes, veluti polo superiores conculcabant, nunc radiato Capite, inque turbinem complicato, sole veluti tæniâ redimiti, prodibant; nunc impositis sibi cornibus effæminabantur in lunam, nunc varias formas syderum, puerili ambitione dicam, potius an insania, desumebant. Ridenda barbara hæc, & ad fucatum splendorem excogitata industria. Non ea

 synceri

ſynceri puriq́ue luminis eſt conditio, vt aliquis adſtantibus ſceptrigeris adminiſtris, in nouas formas & ſpecies ſeſe induat, intus lethali criminum vulnere ſauciam mẽtem habens. Non ſe vitiorum nocte permittit infuſcari; admittit impuram ſcelerum, barbara lux, caliginem. Non menſtruo interpolatur obſcuro; vicario ardore infidum lumen Perſicum, multiplicibus laborat defectibus. Non deſultoriâ luce irradiat, & erratica; quid tandem æquabile & conſtans adulterinæ virtuti adiunctum intelliges, quæ nomina tantùm beatæ probitatis obtinuit, ſolido fructu, perfectæ, & conſũmatæ felicitatis deſtituta. Altiora è veritatis ſplendore Sereniſs. Princip: Noſtri Maieſtatis lux nobis lætitiæ proponit argumenta. Et enim ſi aliquis ex Principibus Perſarum enituit in bello, obſoleuit idem in pace, alium toga, ſed non arma honeſtârunt; reuerentiam ille terrore, alius amorem humanitate captauit, ille quæſitam domi gloriam in publico, hic in publico domi partam perdidit; poſtremo nemo adhuc extitit, cuius virtutes nullo vitiorum confinio læderentur. At Principi noſtro, quanta concordiâ, quantuſq́ue concentus omnium virtutum, omniſq́ue gloriæ contigit, vos ego appello Senatores, qualia iudicia publicè in comitijs de hoc vitâ Sancto Principe faciebatis; quam cauſam potiſsimum firmiſsimam vobis in eo inaugurando ſtatuebatis, quantâ votorum concordiâ Eum Epiſcopatui Cracouień. præficere voluiſtis? Quid aliud ſpectaſtis, vidiſtis, intellexiſtis, quàm ſpeciem illam & imaginem virtutum non fucatam aut adumbratam, ſed veram & expreſſam, dignam, quam non modò nos, qui-

bus

bus præfuit, ſed etiam exteri omnes admirarentur? In qua quidem virtutis ſpecie, qualem ſe ille præſtiterit, teſtis temporum, & nuncia veritatis, referet rerum geſtarum ſeries; Sanctorum præſentes aræ, quæ lugere ſimul & mæreri vnâ nobiſcum videntur, voſque omnes Diui, qui ſempiternum æuum in Cælo viuitis, quorum ſacros cineres hæ ipſæ aræ complectuntur, Tuque imprimis Patrone Regni noſtri Staniſlae, pietatis, & religionis Sanctiſsimi Præſulis noſtri in diuiniſsimum Numen exhibitæ teſtis eſſe potes. Nimirum qui eum ſæpe caſta mente, & pura conſcientia pro pace, & conſeruatione Reipublicæ noſtræ apud DEVM exorantem ſenſiſti, ſalutaribusque tuis auxilijs apud cæleſte numen ſupplicantem adiuuiſti. Stupenda ſanè & admiranda pietatis exempla, præſertim verò, quòd in tanta felicitate, & maieſtate eò pietatis progreſſus fuerit; vt abiectis & poſtpoſitis ijs omnibus illecebris, & voluptatibus, quæ pleroſque in tanto rerum faſtigio collocatos allicere ſolent, nihil priùs in votis habuit, quàm rerum diuinarum contemplationi vacare. Atque cùm à maioribus accepta gloria, & dignitas tribus potiſsimùm rebus conſeruetur, & illuſtrior efficiatur: Religionis ac pietatis ſanctiſsimo cultu: ſapientiâ atque eruditione excellenti: armorum tractatione, ac rei militaris induſtriâ: hæc poſtrema vera & ſolida Regum ornamenta, vt Fratri primogenito, Viro fortiſsimo, & ad omnia magna nato reliquit Eminen. Præſul, ita in illis prioribus, omnes curas, cogitationes, vigilias, atque labores conſumpſit. Et cum Sereniſsimus REX VLADISAVS prior donis, maior

Imperio, bellicæ laudis auidus, totum vitæ suæ spatium eò direxisset, vt immortales, omniq́ue posteritatis memoriâ indelebiles laureas ex immanissimis Patriæ hostibus reportaret; Eminen̄. & Serenissimus Cardinalis in promouendo ac augendo Dei honore constāter conquieuit, ad eumq́ue tanquam ad Helicen & Cynosuram totius vitæ cursum direxit. Serenissimus R E X V L A D I S L A V S, vt concussam Patriæ pacem, ad felicitatem optatam reduceret, patriæ hostes fugare, terrorem remorari Asiaticum, furores Scythicos reprimere, insolentiam Moschi, omnemq́ue eius procellam, in Poloniæ exitium irruentem, hinc consilio prudenti, illinc obiectu fortissimi militis arcere, & ad calamitatem Fidei Catholicæ instructas cohortes propulsare consueuit; Serenissimus & Eminentissimus Cardinalis spiritualibus induus armis, hostem non vnius vrbis, sed totius Orbis terrarum, animarum Deo dicatarum archipyratam lacessere non reformidabat. Serenissimus R E X Ciuitates tueri, salutem Patriæ vltra eius fines quærere, gloriam, quam sibi nemo domi peperit, armis, ab hostili solo, (quod verè Martium est) petere studuit; Eminentissimus, ne lupus immanissimus ouile infestet, assiduâ curâ laborabat. Serenissimus R E X vt tutor Patriæ limitum & seruator penatium, militem, Othomanico furori formidabilem, totiesq́ue in cruore barbarico triumphantem, ad eas Patriæ metas duxit, in quibus sub auspicijs eius felicissimis, prodigi vitæ, & fortunarum, strenui milites, à focis, laribus, penetralibus, à suorum complexu remoti, irruentium procellam hosti-

um repreſſerunt, furores hoſtiles remorati ſunt, magno cum impetu decumanos fluctus ad opprimendam ſalutẽ Patriæ inuolantes, & naufragam ſpem portendentes, oppoſitu ſuorum laterum retardârunt; Sereniſsimus & Eminentiſsimus Cardinalis contrà, nominis gloria, quæ plerumque inuidiæ alicuius confinio lædi ſolet, contemptâ, in æterna beatitudine mentem animumque collocauit. Quid enim homini magis conuenit, eumque magis exornat, & illuſtrat, quàm Religio, & pietas, Princeps ac Regina omnium virtutum, omnis honeſtatis atque dignitatis iucundiſsimum ſeminarium, omnium officiorum regula, omnium actionum moderatio, omnium denique rerum perfectio, & abſolutio. Cui qui ſeſe deuouerit, & addixerit, non ille iuſiurandum violabit, non fidem nefariè prodet, non alienis fortunis manum inferet, nullamque fraudem atque peſtem alteri machinabitur: non odio atque irâ immani concitabitur, nullis inuidiæ pœnis agitabitur, nullo denique animi tumultu, ac cupiditatis immoderatione, de ſtatu mentis conuelletur: ſed omnes curas atque cogitationes ad decus & honeſtatem conferet, & quoduis potius periculum atq; diſcrimen adiuerit; quàm vt dignitatem & virtutem labefactari, atque contaminari ſinat; imperium rationis in omnibus ſequetur, & ad illud bonum parandum, atque fruendum, cuius causâ in hanc lucem editi ſumus, hunc vitalem ſpiritum ducimus, & in quo ſumma ac perfecta felicitas, beatitudoq; conſiſtit, totâ mente atque pectore, aſsiduè aſpirabit. His inſtructum virtutibus, his munitum præſidijs, Eminentiſsimum noſtrum Epiſcopum,

pum, dum Roma communis omnium patria, atque omnium rectè factorum liberalissima remuneratrix intuetur, Eius memoria se oblectare, eum in ore, & sermonibus habere, & amplissimos honores illi parare cæpit. Nec diu cunctandum sibi existimauit, aut in longum gaudia eius differre voluit, sed in ipso ætatis flore, quo vix alij ex vmbra in lucem prodire, & ad publica negotia accedere solent, summum quod habuit pretium virtuti eius persoluit, atque in Augustissimum Cardinalium ordinem, vt aliquando in Ecclesiæ cardine constitutus, posset demum, in firmam & solidam conuerti columnã in Tabernaculo Dei erigendam, cooptauit. Quo honore nihil magnificentiùs, aut ad nominis immortalitatem diuiniùs esse potest. Finge Regum aureas Principumvè coronas: finge Imperatorum laureas atque paludamenta: finge Romanorum fasces atque secures: finge geniales sponsorum Myrthos ac verbenas in serta contextas: finge ludicra pugilum, & gladiatorum decora, oleastrũ, apium, aliaque id genus, finge ciuicas, rostratas, nauales, murales, & quidquid decoris sua olim virtus cuique peperit: quàm vili humanæ mentis solium gaudet ornamento? Reges non ad honorem, quietem, otium, securitatem, gaudium, verùm ad curas, solicitudines, onera, metus, pericula deliguntur, quibus sceptra eorum, & diademata referta sunt. Hic autem fastus, hæc maiestas, & pompa, hoc satellitium, ista rerum abundantia, hæ deliciæ, solutissimaque licentia, non sunt fructus solidi, sed folia duntaxat, & inania nomina, vmbræ, imagines, somnia, & compedes quamuis aureæ. An non

aſsiduo in carcere Imperatores verſantur, cùm & ipſi armis freti eſſe, & cum benè armatis cuſtodibus habitare, atque in publico apparere cogãtur? multi Regnis ſpoliati, multi in ſeruitutuẽ abducti. Quod ſi felices cenſendi ſunt ob togam purpuream, coronam, & ſceptrum inſigne, quare Auguſtus de Imperio dimittendo cogitauit, Diocletianus dimiſit, alij recuſarunt? At ſaltim illorum miniſtri beati ſunt. Quomodo? quos fideliſsimos & cariſsimos habuerunt, iſtis aliquando præcipuè nocuerunt: & plerique non eos diligunt magis, qui amore digniores ſunt, propter virtutem, ſcientiam, & prudentiam: ſed qui ad ingenia eorum aptiores, & in cupiditatibus miniſtri diligentiores. Cùm ergo inconſtans, & mutabilis principum fortuna ſit, Principem in coronis tu mihi locum da, ſummo huic gloriæ theatro, maximo virtutis campo, ampliſsimo meritorum donatiuo, ſcilicet Cardinalicio Ordini. Romanorum Senatum quidam dixit ex Regibus conſtare: Ego veriùs Cardinalium conſeſſum, Regum concilium appellauero. Quæ enim ibi maieſtas, qui ſplendor, quæ animi magnitudo, quæ iudicij grauitas, & conſilij maturitas deſideratur? Cæſarum atque Regum filij hac purpura obuelari apprimè glorioſum ſibi exiſtimant, & cùm eorum dignitas in ſummo ſit poſita loco, tamen plurimum ſplẽdoris, atque decoris ex Oſtro Romano ſibi accedere veriſsimè iudicant. Etſi verò à quocunque Summo Pontifice tam excelſa ornari dignitate, ſit ſponte ſua maximè illuſtre atque eximium, tamen longè auguſtiùs, atque magnificentiùs eſt, ab Vrbano Octauo, ſapientiſſimo,

Religiosissimo, atque felicissimo Pontifice, tali splendore affici, cuius in pernoscendis ingenijs acumen, in ponderandis meritis prudentiam, in remunerandis præclarè factis iustitiam, in excitandis deniq; ad omnem honestatem atque laudem hominum studijs, perpetuam solicitudinem orbis vniuersus miratur, & obstupescit. Neque de illo dici potest, quod de Cæsare Tullius, cum Cæsar, (inquit) quosdam ornare voluit, non ipsos honestauit, sed ornamenta turpauit. Ipse verò Sanctissimus Pontifex, honores virtute, titulos dignitate, locaque viris splendidiora, atque venerabiliora reddidit. Neque verò Eminentissimum Cardinalem nostrum hæc sublimis dignitas, Regiæ Maiestatis illustre auctuarium immutauit, atque nouis & tumidis opinionibus inflauit, non humeros sustulit, ceruicem erexit, nares contraxit, supercilium adduxit, imò longè modestius de se sentire, magisque comis, facilis, & humanus omnibus visus est, ita vt qui antea virtutem eius venerarentur, dignitatem colerent, nunc ostro Romano obuelatum, propter summam animi moderationem obstupescant. Atque enim sol lucidissimus, quo densioribus circumseptus nebulis fuerit, eo pulchriùs, clariusque caput exerit, suoque ingenti radiorum splendore omnes orbis plagas collustrat: ita Eminentissimus Cardinalis noster, locum inter togatos Patres Quirinalis Capitolij sortitus, quasi lucidissimum Sydus, omnes Sarmatiæ angulos virtutum suarum radijs collustrauit, vt non immeritò fulgentissima virtutum eius ornamenta, Polonia cōspiciens, eam lætitiæ plenam vocem emiserit. Venient

annis


annis secula seris Amplissime Præsul, quando non modo æstuantem pectoris Tui magnitudinem, verùm & profusam tuam munificentiam, viuacem & erga DEVM atque homines ardentem, charitatis flammã, Tuam raram illam prudentiam officiorum, ac negotiorum momenta grauissimè ponderantem, laborum inuictum robur, & tolerantiam, cæteraque pectoris tui aurea ornamenta, vberioribus ex limpidissimis Musarum fluentis, ad perennem famam efflorescentis gloriæ irrigabuntur, & ab arce Palladiâ, cuius Tu Illustrissime honori & incremento fuisti plusquam studiosus, fama perennis, æternis tubarum clangoribus, Iagellonicum nomen posteritatem in omnem personabit. Sed vt nulla syncera est voluptas, quam non aliqua contaminet ægritudo, quòquo res magis nobis cara, atque iucunda est, eò magis eius amittendæ metu cruciamur, cùm Tui, incredibilem animi iucunditatem, de tuis amplissimis honoribus perciperet Polonia, illa tamen cura, eam vehementer coquebat, atque mordebat, quòd solicitè metueret, ne Romanæ vrbis Maiestate, sacrorum Religione, Principumque dulcissima consuetudine captus, atque deuinctus, ad tuos nunquam redires. Itaq; inter lætitiam & animi molestiam, inter spem, & metum in omnes partes animum versabat: vndique consilia conferebat, si qua ratione Te ex amænissima Italia reuocaret, vt potiùs hic sol, suis, quàm alienis luceret: & hic Nilus diuite & fæcundo manans alueo Polonorum agros atque terras oblimaret, atque irrigaret. Et audiuit tandem Eminentissimus Cardinalis ardentissima suorum vota: dumque sedulæ apis na-

turam imitatus,ex diuersorum florum generibus,ex optimis legibus viridarium veluti diuinâ manu consitum in proprium nidum reportare contendit; iniqua fatorum vis in luctum Patriæ nostræ obarmata merces intercepit, ex oculis mediaque luce, prudentia & incredibili moderatione animi Principem sustulit, in ipso itinere lumen Patriæ eripuit; at hæc eò tempore in domicilio Empyrei orbis, & statione beata Solem Sarmaticum collocauit, quo ob virtutum gloriam, vitæ sanctimoniam, atque adeò singularum ac omnium rerum ornamentum, illustre quasi signum Polonis vniuersis, ad benè de Repub: sperandum videbatur esse sublatum. O nos miseros, quibus hunc tam clarum solem inuiderunt superi, O infelicem Cracouiam amisso Præsule tanto; O infelicem omnium scientiarum atque virtutum alumnam Academiam Cracouień. amisso Cãcellario fauentissimo. O infelices musas amisso penè præsidio maximo. Quæso vos Equites Nobilissimi erigite animos, & Poloniam ipsam lapsantem, oculis contemplamini. me enim plura dicere non finit nunc dolor. Omnes interim tanti Principis memoriam contemplatione virtutum sanctam ducamus, quo nondum alius in Regno Poloniæ, neque priuatim neque publicè maioribus ornamentis illustrare potuit Europam, doleamus casum nostrum, quibus alienissimo tempore, atque adeò eo, cùm Eminentissimo nobis Cardinali opus esset IOANNE ALBERTO carẽdum est. Tu que ipsa vrbs largo flumine vultum ciuium tuorum humecta, qui IOANNEM ALBERTVM vidêre quondam hexaphoris, aurata, & tanquam curuli sella; cæterisque

Pontifi-

Pontificia Maiestatis insignibus coruscantem, ijdem per hosce dies illum viderunt exanimem, redactum in aliorum mortalium ordinem, in feretro iacentem, & de Cardinalicij celsitudine solij, in pædores tumuli squalentis abiectum. Hic exitus, hic occasus est honorum omnium: ad hunc scopum, quæcunque admirantur homines, illisa franguntur: in has tenebras, ad solitudinem redigendum, quidquid in mortalium oculis enitescit. continenter piè viuendi norma mors est; nec vitæ stadium recta decurrit, qui in stadij metas, non defigit obtutum. Hæc laus, hic apex sapientiæ est, ea viuentem appetere, quæ morienti forent appetenda.

DIXI.





Sub felicibus auſpicijs Admodum Reuerendi & Magnifici Domini,

D. IACOBI NAYMANOWICZ,
I. V. Doctoris & Profeſſoris, Canonici Cracouieñ. Archidiaconi Pileceñ. &c. &c.

Vniuerſitatis Cracouienſis
GENERALIS RECTORIS.

Cracouiæ, In Officina Franciſci Cæſarij, Anno 1635.